Makowski Simonis Stanislai: Solatium parentalium lacrymarum moestissimis ex obitu parentis optimi filiis.

SOLATIVM PARENTALIVM LACRYMARVM

Mæſtiſsimis ex Obitu parentis optimi Filijs.

Perilluſtribus ac Magnificis Dominis.

DD. IACOBO & IOANNI SOLECKI,

In Włoſtowice, Lyſzkowice, Vdorz, & Zagaie &c, &c.

HÆREDIBVS.

A

R. SIMONE STANISLAO MAKOWSKI, THEOLOGO,

Magiſterij in Artibus & Doctorâtûs in Philoſophiâ, LICENTIATO.

ERECTVM,

Eiſdemq; ab eodem in maxima Virorum Illuſtrium frequentiâ, publicè dum iuſta ſoluerent funeri,

DEDICATVM.

CRACOVIÆ,

In Officina Martini Filipowski, M. DC. XLVI.

In Stemma

ILLVSTRIS SOLECCIANÆ DOMVS.



Quod bellum renouat mucro? cælisq; minatur
Interitum? & Lunam scindit vtrinq; potens.
Scilicet ereptum quærit violenter in astris
Morte sibi dominum. sed reuocare nequit.

AD
Perilluſtres & Magnificos
Dños,
DD. IACOBVM
&
IOANNEM
SOLECKI
Cariſsimos Fratres.

INter Funebres Nobilium pompas Perilluſtres & Magnifici Domini, etiam ſublimem Oratorum eloquentiam exanimari ſuâ maieſtate neceſſum eſt. Adeò vt quantumcunq; aſſurgat Oratio, præ dolore iaceat, & graui mœrore elinguis reddatur. Neſciebat & mea lugubris facundia, in mæſtum prorumpere idioma, nè vobis plùs doloris, qui maximè leuari debuit, afferre cenſeretur. Dolendus ſiquidem Parentis Veſtri obitus omnes nos dolere facit: non minùs enim Parentum occaſus Filiorum animos, quàm Oratorum voces opprimere conſueuit. Eripiebant vocem in ipſo limine, imbrium inſtar Veſtræ ex oculis cadentes lachrymæ, & audacem attenuabant eloquentiam. Inurbanitatis tamen meus timebat accuſari calamus, niſi ad Veſtrum ſe ſolatium erexiſſet; non à dulci facundiâ, ſed ab inſipido mœrore ſibi ordiendum eſſe ratus. Et licet vox plorantium

rantium

rantium omnibus iniucunda accidat; Vobis nihilominùs plurimum saporis allaturam spero, cùm magnam Parentis Vestri ruinam profundo deploret gemitu, quem Vos secreto naturæ imperio doletis. Et maximus enim interdum planctus suspirijs ac gemitibus facilè leuatur. Non est igitur cur diutiùs mœstas in dolore continuetis lachrymas: æternis siquidem nemo potens est resistere sancitis, quæ mortem cuique nascenti determinant. Neque Vobis duntaxat inuida arbitremini Fata: omnibus enim calamitosæ eædem sunt agnatæ vices. Exulet iam necesse est ex animis Vestris radicatus mæror, dùm iam posthumæ Parentis Vestri virtutes suauiùs occinunt Orphei lyrâ. Quare tam necessariò dolori Vestro, maximum leuamen, immortali scilicet calamo, Parentis Vestri (quibus nulla vnquàm Parnassea commendatio, aut Apollinei applausus sufficerent) celebratas affero laudes. Quod facilè à Vobis alienum ducerem, nisi Vos quoque adhuc erudito in Almâ Academiâ occupari calamo optimè nossem. Suscipite igitur grato animo, vt omnium posthac calami in Vestras quoque auro fluant laudes.

Perillustrium & Magnificarum DD. VV.
Deuotus exorator,

Simon Stanislaus Makowski
Theologus
Artium & Philosophiæ licentiatus.

ÆTER-

ÆTERNA MEMORIA

DEFVNCTI

Perillustris ac Magnifici Dñi,

DOMINI IOANNIS

A

SOLCA

SOLECKI.

FRVctuosam erepti inuidâ sorte Generosi gloriosæ memoriæ Parentis Vestri, Perillustres ac Magnifici Domini, mors peracerba refricat memoriam. Dolendus & inopinatus eius vitæ exitus, inter parentales inferiarum illius lachrymas obuersatur. Auget dolorem luctus, & vectigales eiulatus (cuius ferali hac vrnâ intuemur bustum) edere pietas compellit. Funesta profectò Catastrophe. Obijt astrum pietatis ac virtutis, squalente floridâ Filiorum iuuentute, lachrymante afflicto consanguineorum cœtu, dolente vniuersâ spectantium coronâ. Quæ noua metamorphosis? violentum fecit, vix redeunte noui anni curriculo ad summos luctus gradum? durissimum à spe conceptâ Filiorum,

felicem apprĕcantium ætatem, ad mæſtiſsimas complorationes deſcenſum? à lætiſsimi temporis applauſu ad communes gemitus atque nænias ſubitaneum motum? Quæ non vſitata commutatio & conuerſio deploranda, Ariadnæum inter anguſtos vitæ humanæ labyrinthos interrupit filum? vt fatali ſuo exemplo, hominem eſſe miſeriarum domicilium, fortunæ ludibrium, temporis ſpolium probaret. Siccinè fluxam temporis ſeriem perpetuò ducimus, & in dies decreſcentem cum annis ætatem lachrymamur. Quamdiu in orbe viuimus, fatalem ineuitabilis cuiuſdam fulminis, in ceruices noſtras impetum concitamus. Scilicet cui lucem aſpexiſſe contigit, vnicâ mortis vmbrâ reſtat debellari: vt prorſùs vix tutius quid viuentibus cœlum conceſſerit, quàm ſæcula perpetuò incuſare. Vix naſcimur, & iam malignitatem lethi ſibilamus, quòd plurimos in ipſo vitæ apparatu inuadat. Et ſi longiorem trudimus ætatem, Fata & ſuperos ad noſtra ſubſellia trahimus; vt tandē Fateantur, ecquid cauſæ eſt, cur nos perpetuis impugnent calamitatibus? quarè plenis infelicitatum fluminibus offuſi, in ipſo vitæ curſu naufragium pati cogamur? Vna eaque miſera ſingulis naturæ conditio, omnes eadem naſcendi & moriendi impoſitâ lege obſtringit. Fatalis & mæſta omnibus præfixa eſt ſcæna; nec quiſpiam niſi in triſtiſsimo mæroris proſcænio, vitam cùm morte poteſt commutare. Sed quorſùm ſuccenſemus Fatis, & de rerum parente naturâ querimur? Vitam non accepimus, ſed fecimus infelicem: nec exiguum temporis habemus, ſed multum perdimus. Nocte naſcimur, inter nocturnas quoq; mortis tenebras, vitam finire neceſſum eſt. Quid igitur? Itanè inter lachrymas con-

mas con-

mas continuò mergêtur Oratio, nec ad dulcem enauigabit consolationem? Graue est fateor inter lacrymas stare, nec ad doloris contactum pectus inclinare difficile. Desideratum parentem, vnicum nutantis Patriæ præsidium, & Familiæ decus, amittere; quis negat arduum esse? sed humanum. Temperate dolorem superstites Filij, Gloriosum Parentem Vestrum non amisistis, sed meliori æternitati locastis. Hæc quidem naturâ mortalium est, vt nihil magis placeat, quàm qnod amissum est. Verùm fatalem humanæ vicissitudinis necessitatem considerate! ab ortu occasum, ab integritate ruinam exigentis. Vestræ vectigales lachrymæ, & parentalis tot Virorum luctus, quem vltima pietas indixit erga Parentem Vestrum, me simul in funebre theatrũ euocauit. Vbi eloquentia deliquium patitur, & artem confundit dolor, singultibusque duntaxat & non verbis perorare licet. Elinguis hìc hærebo, si doloris vnica duntaxat est medicina dolor. Magna quippè doloris eloquentia est, facundum esse solis gemitibus. Habete igitur integerrimum pectus mæstissimi Filij, & quod euentus Vobis ab alto loquitur, æquo animo suscipite. Hodie ipsa etiam Fata Vestra fortitudine superanda sunt, & tantus dolor vnico Oratoris solatio leuandus: cuius in gloriosas Parentis Vestri laudes, tota iam excurrit facundia. Nimirùm hic est inoffensus veræ gloriæ cursus, & diuinitatis cuiusdam continuus vigor, etiam post mortem hominum linguis celebrari. Licet enim omnia tanquàm mortales teneamus, famam nihilominus ceù immortales concupiscimus. Debetur hæc laus emeritæ virtuti, æternæ memoriæ Parentis Vestri, vt etiam post malignitatem lethi in animis omniũ

vige-

vigeat. Qui iſtis mortalitatis anguſtijs expeditus, æternamq; in ſedem receptus, æuo ſempiterno perfruitur. Qui exiguum iſtud vitæ curriculum, recto ſemper decurrens tramite, virtutem à Maioribus feliciter inchoatam, non ſolùm ſacros vſque ad cineres comitem habuit, verùm adeò cùm maiori incremento in publicum produxit, vt pro mortalitate ſibi æternitatem reddiderit. Viuit Parens Veſter immortales perennaturus annos, quem eò ſecuta omnis virtutũ Heroicarum multitudo, perẽnibus immortalem circumſepſit ſplendoribus. Excepit illum magna & æterna pax: nam deſerens terminos intra quos ſeruitur, ibi conſtitit, vbi nil eum terreat. Neq; hìc nobis nudum & exangue cadauer relictum arbitremur. Exiguæ iſtæ ſunt telluris exuuiæ. Manet illuſtris illius, & nullâ temporum viciſsitudine obſcuranda gloria: in memoriâ poſteritatis relicta, in præclarè factis confirmata, in veris laudibus & ſyncerâ prædicatione ſtabilita. Ibit poſthuma Parentis Veſtri laus in ora poſterorum, famam nominis eius vltra ſeram poſteritatem circumferet, virtutes prædicabit, ſerpet Heroicus animus in immortalitatem. Quorum pulcherrima argumenta infeſtus patefacit dolor. Ita Maiorum ſuorum feliciſsimè correſpondit nomini & ſanguini, vt in illo omnia antiquæ Proſapiæ ſplendorum cernerentur ornamenta. Vt non immeritò exemplar veræ Nobilitatis dici meruerit, in quo ſolo ſuſpiceret orbis Sarmaticus, quod in vnâ ſtirpe nuſquàm credidit reperiri poſſe. Quid igitur opus erat vt viueret diutiùs, cùm nominis eius menſura ſola iam fieret æternitas. Non immaturus deceſsit: vixit enim, quantùm debuit viuere, vt ei nihil iam supereſſe videretur. Nec

sanè

ſanè anguſto temporis prætereuntis ambiri potuit ſpatio, quicquid glorioſa illius dextera vnquàm egit: cùm illud meritò omnes colere poſsint & admirari. Eius virtuti fragilis terrarum orbis anguſtum fuit theatrũ; in ipſo cœlo augeri debuit, vt cùm immortali animo æternùm duraret. Inter lachrymas igitur parentales non licet dolere, dùm cœlum rapit, quem toto vitæ tempore ſibi ſtuduiſſe vidit. Et certè ſi nullis planctibus defunctus reuocatur, & funeſta mors tenet quicquid abſtulit, quid opus eſt extinctum deflere. Omniũ quippè taliter vita flebilis eſt. Mortalibus naſcimur, extremum morti, noſtro perſoluimus debitum occaſu. Magnum ſatis immortalis gloriæ Parentis Veſtri argumentum eſt, rectè vixiſſe. Ad hoc non requiritur ætas longa, ſed conſentanea rationi operatio, eundem ſibi præfixum habens terminum, qui eſt æternitatis. Non ignoramus Parentem Veſtrum cõmunem humano generi modum viuendi contigiſſe: ſi quandò tamen communem in viuendo exhibuiſſet, neſcimus. Quò enim pauci admodùm vix aliquandò aſpirant, eò ipſe ſuam ſemper dirigebat contemplationem. Viuere totâ vitâ diſcebat, & quod magis fortaſſe mirandum, totâ vitâ ſibi diſcendum eſſe cenſuit mori: illum diem lætiſsimus cogitans, quo magnitudinẽ ſuam exueret. Nihil ſiquidem leue, nihil quod non Chriſtianum ſaperet hominem, vſquàm præſetulit. Inter Hydras potẽtes Hercules & Theſeus regnabant: vitijs ille omnibus, ne ſe infeſtarent, ſemper glorioſiùs ac feliciùs imperauit. Nihil vnquàm voluit loqui, niſi cui cælum annueret, nihil agere niſi pulchrum & perenne, & cui virtus ſubſcriberet. Summa profectò ætatis ac virtutis menſura, cælum & Patriã virtutibus onerare. Sciebat o-

bat optimè ætatem nostram benè disponenti multùm patere? & illi soli Argiuum clypeum tribuendum esse, qui animum in omnibus cohibere facilè posset. Angustum sibi iter ad gloriam censuit, vt eius commendationis, sola nobilitas & sanguis Maiorum vnicum fieret argumentum, vt eum celebres auorum ceræ & publica consanguineorum dignitas clarum faceret. Et id certè illis ipsis commune, qui lucem perosi suas in abdito proijciunt animas, solis viuunt beati tenebris, & in vmbris mortem otiosi præstolantur. Altiori ille meditatione contentus, vt bene esset animo non corpori, vt in possessionem Christianæ perfectionis veniret, æmulam virtutem nobilitati adiecit. Effecit id dùm adhuc viueret, vt & immortalitas res illius præclarè gestas reciperet intra gloriam. Nihil vsquàm egit, quàm quod tota posteritas suspiceret, & ante eum in paucis admodùm præterita legeret ætas. Quo modesta Filiorum indoles, ad maiora semper virtutum incrementa assurgere niteretur: & adultæ multorum licentiæ, solo ipsius conspectu, grauiùs quàm accepto ab Ioue flagello castigarentur. Suspicimus omnem in Parente vestro pulcherrimarum gloriam virtutum effulsisse: & quæ in plerisque sparsa laudamus, in eo communi quodam vinculo colligata, miramur & amamus. Illum Maiorum luce ornatum, in vitam, velut theatrum aspectabile, natura expediuit. Certè prodigij simile est, in album mortalitatis inscribi, & tamen æterna semper quærere. Terrenis scilicet nemo alligatur, cuius generosa mens, remige virtute nititur in altum. Supremus in Parente vestro ad maturiorem ætatem gradus erat, optimè de Deo & Patria mereri. O

perennam

perennem & nullo æui senio fatiscentem! meliùsque visceribus posthumæ Patriæ, quàm saxo aut marmore signandam tanti viri coronam? qui tùm maximum colligasse thesaurum ratus est, cùm meritis & virtutibus perfectum numerum expleret. Non omnes quosquos albo mortalium nascendi sors inscribit, altum semper & sublime spirare facit. Plurimi in ruinam proni, lubrico viuendi fundamento nituntur. Nescit sublimis & excelsa virtus quemque in sui studium prouocare, nisi comitem in eo inuenerit probitatem: nec quispiam magnus fit, nisi qui simul & probus. In Parente vestro ista nusquàm poterant separari. Cùm ætas illius adolesceret, animus honestatem spirans nè deesset, curauit. Nulla illum diutiùs, nulla frequentiùs, nulla iucundiùs morabantur colloquia: quàm quæ diuinum quiddam monstrare viderentur. Idonea rebus præclarè gestis pectora in tenerâ suâ ætate decernebat? nec quisquam sibi plùs placuit, quàm quem virtutes commendarent. Quis generosis eum vestigiis ad magna semper fuisse non animaduertat? sub cuius gloriosa in Patriam, & syncera insupremum Numen merita, ipsum hodie cœlum verecundo deijcitur pudore. Quis anhelum ad sublimia pectus? igneos planè in omni ætate procursus? laudis & gloriæ appetens studium? gliscentem perpetuò in intimo cordis sinu Maiorum imitationem non agnoscat? In quo doctior etiam antiquitas errasse non putaretur, si crederet omnes excelsos animos in vnum Heroëm refundi. Themistocli quondam augustæ indolis homini, Miltiadis trophæum saporem excusit, & in æquales ausus cogitantem, acriùs inflammauit: Parentem vestrum tantò fortiùs

incen-

incendebant Maiorum gesta, quantò potentiores in consanguineis cineribus latere sciret faces, quæ posteros suos maximè stimulant, donec in sui trudant æmulationem. Introspicite mæstissimi Filij inclusam funebri sarcophago antiquæ vestræ prosapiæ pulcherrimam imaginem: integritate vitæ, virtutum verè Heroicarum, ac rerum præclarè gestarum gloriâ, ceù auro purissimo exornatam, omnia in hac imagine pulchra, omnia pretiosa, miranda omnia: & dicere audeo si diuturnitatem habuisset, nullam vnquàm pulchriorem aut perfectiorem imaginem vidisset Polonia. Voluantur in oculis vestris piæ lacrymæ, & eò libentiùs cadant, quò iucundiori obseruatione in Parentem, dulces mollescunt in guttas, veluti imbres cadentes & pretiosas in aquas soluuntur. Collapsæ in terram præstantissimæ imagini Parentis vestri collacrymemini cõmunemq; omnibus casum ingemiscite, quem statim ab vtero prosequimur. Agunt opus suum Fata: quoq; faciliùs obrepat mors, sub ipso vitæ nomine latet. Eheu delapsus ex alto lapis ille mortis, cuius vim ne ipsi quidem terrarum Principes, effugere possunt: vehementi impetu, ictu valido, & conatu quo potuit maximo, imaginem vobis & toti Patriæ gratissimam solo æquauit. o plagam luculentam! o damnum graue: Quid mirùm si vobiscum carissimi Filij, qui præ dolore ægrè vitam ducitis, lugeat ipsa Patria? si vniuersa Polonia in hoc mæsto funere, acerbissimum edat eiulatum. Actum iam est, Quæ in incertum diem concesserant, iterum Fata sustulerunt. Quàm maligno ad perniciem consilio inuida mors vsa est. Nolebat in oculis palam extremum minitari interitum, nè resiliret. Verebatur in

rum

in immortalem hominis animum, pulcherrimo virtutum, & præclarè factorum, ceù versicolore metallorum prætextu vestitum, impetum facere insperatum, nè optatâ victoriâ frustraretur. In partem debilem & maximè infirmam vi totâ ac pondere suo incubuit. Pedes duntaxat fictiles, quibus tota imago, tanquàm fulcris quibusdam, sed non benè solidis innitebatur, percussit, eam scilicet hominis partem, quæ variis mutationibus, & ipsi adeò mortalitati obnoxia fuit. Gloriosi proindè hisce Parentis vestri cineres, ita luctuosum faciunt spectaculum, vt oculi omnium mærore grassante, ac vlulatu irritati, spontè lacrymentur. Magnum virtutis argumentum, dùm mortuum viui ita suspirant, vt ipsi optent, exuere spiritum & vitam. Grande vel ex hoc ipso nobilissimi Iuuenes sumite encomium. Acclamationibus hìc res indiget non singultibus. Cùm virtute quippè emigrare, triumphare est. Quàm benè Parens vester præuidit omnes technas & subitaneos impetus, dùm se ad tàm formidandos insultus felicissimè obarmaret. Qui Numini æterno plenâ mente affixus, eidemq; salutaris militiæ sacro obstrictus sacramento, omnia hæc, quamtumuis è latibulis erupissent prospexisse pariterq; debellasse poterat. Igitur salsas ciere lacrymas, aut lugubres inuocare planctus, ipsius non patitur pietas. Vincit mortem quisquis venturam meditatur, & animosâ iugulat expectatione, citiùs quàm veniat. Sciebat optimè nos quàm primùm lucem vidimus, iter mortis ingressos esse, & in dies accedere Fato propiores, totumq; id quod à Fortunâ datum est, tanquàm extemplò abiturum possidere. Nihil Fatorum iniuria sibi licere arbitrabatur, quia

in eum

in eum nihil iuris ipsis relictum erat. Silente gressu & strepitum passu non faciente, mors cùm funestâ falce veniebat, illusa tamen ab eo resilire cogebatur. Vt enim Basiliscus; ita fatale lethũ, si priùs oculis contingatur, vim perdit nocendi. Fuit hac optimè instructus prudentiâ Parens Vester, vt vltimam mortalitatis suæ necessitatem semper animo ponderaret. Sedulò ac diligenter considerabat, à naturâ hoc inditum esse, mori neminem solere qui non vixerit; ita nec viuere quidem aliquem posse, qui non sit moriturus. Æquo animo, cùm sibi æternis sancitis occumbendum decerneretur, ab æthere venientem sententiam ferebat. Sciens vitæ munus, quod mutuò à DEO accipitur, citra querimoniam reponendum esse. Mors enim cuique nascenti determinata est. Tanta ipsi pietas, vt cœlum ipsum flagrante eius in DEVM amore fatigaretur: nihilque illi in vitâ defuit ad immortalem annalium fortunam, nisi quòd mortalis esset. Illud eximiâ suâ deuotione impetrauerat priuilegij, vt priusquàm è terris abiret, cùm DEO sibi versari liceret: & priusquàm inter homines agere desineret, fieri posset immortalis. Vitam proindè transtulit non amisit: mortalitatem posuit vt homo, à virtute cæteroqui diuinus. Mortis vim ac potestatem longissimè euasit, & cùm corpus terræ naturæque concederet, meliori vitam æquauit cùm æternitate. Vincula quidem & compedes mors parauerat, quibus eum acriùs constringeret, sed tantùm profecit, quantùm Xerxes in ligando Hellesponto. Quocunquè progrederetur, Fidem, Religionem, cæli amorem, inferebat. Rapiebatur perpetuò ad fastigium virtutis excellens illius natura, nec priùs quiescebat,

ſcebat, quàm altiſsima probitatis ſumeret incrementa. Graue erat atque arduum, à virtutis ac Pietatis commercio, cœlo adultam ſeparare mentem. In id totâ laborabat induſtriâ, vt ad beatarum illud domicilium, maxima virtutibus parta trophæa inferret. Themiſtocles illuſtre illud Græcorum ſpectaculum, grande audaci imprecabatur malum Fato, quod illum vltra centum ſeptem annos, viuere non pateretur. Parens Veſter dulce admodum migrare putabat è vitâ, nondùm perfectum explens numerũ annorum ſexaginta. Conſignabat ſeipſum DEO, cùm neminem vltra Fata ſuperſtitem crederet exiſtere poſſe. Quid ergò reliqua Felicitatis ac pietatis ipſius argumenta, fruſtra calamo dimetiar? Non hîc omnia Parentis Veſtri decora, in anguſtam collecta Orationem, ceu in nuce Iliadem propono. Quis enim ſingula in mœſto omnium ſqualore, percurreret religionis & iuſtitiæ illius monumenta. Lugubrem me hodie non diſertum agere oportet Encomiaſten: cui non verba ſed ſilentium ampliſsimus ad laudandum locus. Ex lachrymis enim plura colliguntur, quàm ex diſertâ Oratione. Hinc plùs oſtensâ in glorioſis vrbis Romanæ roſtris funebri veſte, Antonius tacitus dixit, quàm ſi loqueretur. Thimantem in iphigeniâ hodie imitor: nec expreſsa veſtigia, ſed compendiarias duntaxat, propono notas, vt quiuis apud animum decernat ſuum, plura ſibi expendenda, quàm peruidenda eſſe. Satis dixi ſi vel vnicam attigi virtutem. Ita quippè illæ indiſſolubili connectuntur vinculo, vt ſi omnes non adſint, nulla prorſùs earum reperiatur. Riſit ſemper eos, qui laudis non virtutis cupidi, magis vt clari, quàm vt boni ſint, annos conſumunt. clariorem

ſe futu-

se futurum ratus, si vitâ potiùs, quàm elegantiâ æternitatem mereretur. Toto vitæ cursu ad immortalitatem ipsius maturescebat animus, dùm ita vixit, vt non minor in Patriam quàm in cælum reperiretur. Vt & cælo non deesset, quod in mortali corpore æternùm diligeret, & Patria carissima haberet, quod ei post modùm referre teneretur. Vbi enim primæ ætatis puluerem, in Castalio literarum fonte detersisset, vmbram statim fastidiebat, petebat publicum, vt ibi nomen suum inter Heròes virtute consecraret, vbi Maiorum gloriam vidit euiruisse. Nihil in aulis magnatum ipsius erat, quod non Chrisippum aut Tyresiiam saperet. Nunquam curiæ habebant, quod in eo amplius desiderarent. Et ne specioso verborum fuco, aliquam veritati caliginem offundere videar. Vos ô immortales Diui SZYSZKOVII & Tiliccij Cracouiensium præsulum Manes, è sepulchralibus tenebris, in testes luculentissimos accire liceat. Vos muto hoc etiam, quod vobis Fata imperarunt silentio edisserite, nùm aliquid in illo vnquàm aduertistis, quod non gratissimo dignum esset amplexu. Magna satis virtutum stadia semper decurrebat: necdum tamen excelsus eius animus satis sibi facere videbatur, nisi publicæ quoq; necessitati propriam impenderet salutem. Vbi enim teterrimam illã Moschorum Hydram, quingentis capitibus stipatam, & in caput totius Christianæ religionis iuratam vidisset, seipsum paratam hosti prædam obiecerat. Non arduum tunc erat difficilia sustinere, siquidem amor Patriæ, & sacra gloriæ cupido condirent omnia. Quo tempore, non cùm solâ duntaxat hominum exterorum barbarie, verùm cum tot cælorum iniuriis lu-

ctandum

ctandum erat. Describebat in niuibus, atq; inter frigidas glacies hiberna; insolitam aëris intemperiem, & asperiores Boreæ spiritus æquo animo perferebat. An non satis magnificum virtutis incrementum est: primam ætatem spei publicæ enutrire, & vt pectoris synceritatem experiretur Patria, per sanguinis dispendium in testimonium ire. In bello Chocimensi tàm immoto stetetat contra pericula gradu, vt vehementem vibrati illius in ceruices hostium gladij impetum sustinere, plenum opus fuerit admirationis & terroris. Stimulabat amor Patriæ, vt in extremum etiam vitæ discrimen imperterrito animo prorumperet. Militabat cum eo gloriæ cupiditas, vt etiam difficillima quæq; auderet; & pulcherrimum in armis succurrebat mori, cùm tota Reipublicæ integritas periclitaretur. Sed uestro orbati carissimo Parente Filij dolendo fatigatus gemitu, non consectabor plura animi illius ornamenta. Longum profectò esset singula Parentis uestri præclarè facta referre, quæ nulla vnquam facundia satis dixerit. Et certè insurgant disertissimorū calami, atq; hanc emeritam Parentis vestri famam immortalem sæculis porrigant, ferant in sublime magnitudinem animi, dicant eandem Heroici pectoris in omni euentu æqualitatem, memorent hostibus haud tergo, sed forti animo natam indolem, celebrent æquo semper calculo ponderatam cum temperantiâ Iustitiam: nondum tamen hic limes foret nitenti in ardua virtuti. Altiùs longior vita vexisset virum, nisi cedere mortalitatis campo, iussisset imperatrix illa, quæ Regum diademata ligonibus æquat. Vestræ proindè superstites Filij reliquum virtuti commisit, vt æmulâ manu, ad quem ille nitebatur gloriæ apicem o-

 mni co-

mni conatu eluctemini. Quàm benè eius immortalitati prouisum est, vt vos post se relinqueret, in quibus clariùs cognosceretur. Sic obnoxij mortalitatis occasus corporis, famæ in sua posteritate æternùm perennaturæ ortus quidam esse solet. Viuit igitur nobilissimus parens vester, quamuis mortali vrnâ iaceat conclusus. Ibit cum posthumâ virtutum suarum famâ in memoriam futuri sæculi. non deseret eum claritas tumulatum, quam in vitâ pietate & religione fundauit sibi immortalem, ipsũ demûm sepulchrum magni pectoris facta demonstrabit.

DIXI.